DE THEOTISCAE POËSEOS

VERBORUM CONSONANTIA FINALI

(HOMOEOTELEUTO, REIM)

INDE A PRIMIS EJUS VESTIGIIS
USQUE AD MEDIUM SAECULUM DECIMUM TERTIUM.

SCRIPSIT

CLEMENS FRIDERICUS MEYER
PHIL. DR.

BEROLINI
PROSTAT APUD R. GAERTNER.
(Amelangsche Sortimentsbuchhandlung).

MDCCCXLVI.

BURDACH

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

CAROLO LACHMANN

THEOLOGIAE JURIS ET PHILOSOPHIAE DOCTORI A. L. MAGISTRO PHILOLOGIAE CLASSICAE ET GERMANICAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE IN CLASSE QUARTA EQUITI ACADEMIAE SCIENTIARUM BORUSSICAE REGIAE ET MULTARUM SOCIETATUM DOCTARUM SOCIO

HANC DISSERTATIONEM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum formae poëseos, priusquam arte poëtarum elaboratur, non arbitrio et singulorum voluntate gignantur, sed poësi ipsa circumscriptae sint et constitutae et uno neque alio modo mente concepta ad lucem possint dari: his formis naturae et proprietates poëmatum, quo tempore facta et ad quae poëseos genera referenda sint, luculentissime cognosci et perspici possunt.

Scientia igitur accurata originis formarum, et quomodo hae in temporum decursu excultae sint notitia, tam in litterarum omnium quam in singulorum poëseos generum historia magni momenti sunt qua de re disceptatio historico-philologica de poëseos formis quemvis antiquitatis amantem capiet et delectabit.

Quod ad poësin theotiscam attinet, quum viri illi omnes illustrissimi, qui in litteris theotiscis versati sunt, tum maxime Carolus Lachmann ad cognoscendas poëseos formas multa et magna attulit; itaque meliores partes hujus dissertationis, in qua ad poëseos theotiscae ornamentum

praestantissimum, verborum consonantiam finalem, quoad oculi mei insueti et vires debiles potuerint, incumbere operam posui, a studiis hujus viri doctissimi fontem trahent, quum deteriores partes, ad vires meas infirmas respiciens, sis excusaturus. Sed ne omnino quidem imperfecta hujus scripti conditio mihi soli attribuenda est, verum aliquam culpae partem confer in temporis mihi concessi brevitatem, qua impeditus eram, quominus nonnulla accuratius perscrutarer, ita ut omnes hujus disciplinae periti explicationem sint desideraturi, quoad plurimi poëtae contractionibus *(Klebsilben)* et abbreviatis verbis, quae nexa sunt consonantia finali, usi sint. Itidem temporis exiguitas me vetuit, ne commentarios omnes percurrerem, qui mihi erant praesto. Omnia ea autem, quae mihi necessaria sed non praesto erant, ut manuscripta, editiones certae imprimis poëtarum lyricorum, commentationes historicae de temporibus, in quae poëtarum vitae inciderunt, — omnia haec deesse viris illustrissimis notum erit, quibus hoc scriptum est destinatum, ideoque ejus vitiis benigne indulgebunt.

— der Reim ist das Wesen der Luft, die Alliteration die Stimme der Blätter, woran der Wind streicht.

Jacob Grimm, über den altdeutschen Meistergesang, pag. 161.

Satis constat inter omnes ubique poësin vulgarem prius quam poësin artificiosam apparuisse posteaque cum ea durasse. Poësis artificiosa quum orta est, formas poëseos vulgaris in se recepit easque elaboravit. Formae igitur poëseos vulgaris priores sunt et principales, e quibus artificiosae poëseos formae postea exstiterunt.

Indiciis gravissimis antiquissimae poëseos vulgaris adnumero versus tantum rhythmicos, opp. metricis, quantitate syllabarum distinctis [1]. Num hi rhythmici versus postea numero syllabarum definito numerove arseon et theseon formati sint, an poëtae numerorum percussionem animis sentientes, statim hos versus ita definiverint, dubitari potest, quum in monumentis antiquissimae poëseos vulgaris certus arseon et theseon numerus reperiatur.

---

[1]) Ferdinand Wolf, über die Lais, Sequenzen und Leiche, Heidelberg 1841. 8. pag. 14. 158.

Simulatque hi tantum rhythmici versus ad cantum conformati sunt, terminis quibusdam auri facile dignoscendis eos includi oportuit; non potuit fieri quin vi concentus significatio quaedam congruens et concinnitas adducerentur. Hac lege in natura et concentu posita qua terminos modum concinnitatem petimus, membra sibi inter se respondentia eodem aut simili sono significare sumus ducti.

Hic sonus similis factus est in illis linguis in quibus litterae consonantes cumulantur, consonarum repetitio litterarum primarum in certis locis, accentu elatis — alliteratio, *Stabreim* [1]) — in illis linguis in quibus litterae vocales praevalent, assonantia et concentus ultimarum litterarum, — clarissime autem ejusdem soni repetitio cum consonantibus et vocalibus audita est in ultimo versu rhytmico, — verborum consonantia finalis [2]).

Verborum consonantia finalis apud omnes solis orientis et occidentis populos quodammodo excultos, quorum poësin antiquissimam monumenta nobis tradidere, invenitur. Est res innata, principalis, communis ut poësis et concentus ideoque nec tempore definito neque a singulis populis excogitatur [3]).

---

[1]) Jacob Grimm, über den altdeutschen Meistergesang, Göttingen 1811. 8. pag. 188.

[2]) Quamvis verbum theotiscum „reim" jam antiquissimis temporibus reperiatur, tamen nihil de eo dici potest, nisi ejus vetustissimam notionem plus complecti quam hodiernam, eoque proprie majorem cantum modum significari. cf. Graff's Sprachschatz II. pag. 506.

[3]) Wolf, loc. cit. pag. 161, 280. — Edwin Guest's History of English Rhythms, London 1838. 8. pag. 46.

Ut nisi Romanicos et Celticos et Germanicos non reputemus populos (de Germanicis in prima nostrae disceptationis parte plura dicemus) — nam si plures populos spectare vellemus, haec nostra praefatio nimis extenderetur — consonantia verborum finalis demonstrari potest in poësi vulgari veterum Romanorum [1]), in poësi latina medii aevi, in qua inde ab anno 270 continuo ad majorem venit perfectum [2]); in rhythmica vulgari poësi latina medii aevi consonantia verborum finalis tanti erat momenti ut carmen rhythmicum et carmen consonantia finali nexos continens versus *(gereimtes Gedicht)* ejusdem essent potestatis; qua de re scriptores latini posterioris temporis verbo rhythmi pro verborum consonantia finali (*Reim*) sunt usi [3]). Particulae antiquissimae poëseos provincialis *(provenzalisch)* ultimi saeculi X. consonantia verborum finali ornatae sunt [4]); porro in poësi vetere francogallica carmen de Sancta Eulalia saeculo nono compositum [5]),

---

[1]) cf. Naeke, de alliteratione sermonis latini. Rhein. Museum für Philologie, Jahrg. III, pag. 388 ss. — Kahlert, de homoeoteleuti natura et indole, Vratislaviae 1836. 8. pag. 19 ss. 22. — Lange, vom Reim in römischen Volksliedern, Jahn's Jahrb. f. Philologie, 1830, I, 3, pag. 256 ss.

[2]) cf. Santen, ad Terentianum Maurum, pag. 205. — Baehr, die christlichen Dichter und Geschichtsschreiber Roms, Karlsruhe 1836. 8, pag. 6—7, 29. — Jacob Grimm, altdeutsche Wälder I. 126.

[3]) cf. Diez, die Poesie der Troubadours, pag. 95.

[4]) cf. Raynouard, Choix des poésies originales des Troubadours. Tom. II.

[5]) Elnonensia, p. p. Hoffmann et Willems. Gand. 1837. 8. pag. 6.

itidem poëmata vetustissima reliquarum nationum Romanicarum medii saeculi duodecimi et primi decimi tertii, in quibus poëtarum provincialum, qui dicuntur „*Troubadours*“ poësis minorem jam vel majorem vim habuerat. In linguis celticis consonantia verborum finalis prioribus jam temporibus apparet et majoris est momenti quam alliteratio [1]). In poëmatis hibernicis inde a saeculo sexto reperitur [2]). Eodem fere tempore consonantia apparet in poësi galica (walischer) [3]). Quod ad Germanicas denique linguas attinet, consonantia finalis — ut exemplis in prima nostrae commentationis parte demonstratur — in septentrionali poësi jam in Edda invenitur, in theotisca inde ab octavo saeculo, in anglo-saxonica autem saeculo septimo.

Quum in nostra disceptatione poëseos theotiscae verborum consonantiam finalem nisi per tempus quoddam definitum prosequi nolimus, non supervacuum esse videatur, si totam historiam consonantiae theotiscae obiter perlustremus, ut consilium nostrum probetur.

Forsitan medio jam saeculo nono monachus Otfried librum evangeliorum, versus consonantia finali nexos continens

---

[1]) cf. Conybeare, Illustrations of Anglo-Saxon poetry. London 1826. 8. pag. LVIII.

[2]) O'Conor, Rerum hibernicarum Scriptores. Vol. I. Prolegomena, pag. LXVI ss. — Conybeare, loc. cit. LIX — LXI. — Hardiman, Irish Minstrelsy, vol. II, pag. 359 ss. — Guest, loc. cit. vol. I, pag. 120 — vol. II, pag. 281 et 294.

[3]) cf. Edward Jones, Musical and poëtical Relicks of the Welsh Bards. London 1794. fol. pag. 23. — Conybeare, pag. LXII.

composuerit; non dubitari potest quin ultimo saeculo nono consonantia finalis in poësi theotisca praevaluerit et alliterationem omnino exturbaverit. Consonantia verborum finalis usque ad medium saeculum duodecimum obtusa — masculina *(stumpf)* — erat, i. e. verba ultima tantum syllaba consonabant; et accurata, quoad poëtae facultate et concinnitate excellebant. Medio saeculo duodecimo syllabae finales jam ita erant refractae, ut earum vocales atonae, quibus consonantia finalis adduceretur, non amplius sufficerent; quocirca consonantia bisyllaba sonans — feminina *(klingend)* — auxilio est vocata, cujus certamen cum consuetudine et usu praeter inconcinnitatem, quae novam quamvis artem prosequitur, maximam negligentiam consonantiae finalis effecit et ruditatem. Ultimo saeculi duodecimi quadrante consonantiarum finalium obtusarum et sonantium usus accuratissime discernebatur; consonantiae interlaqueatae vel concatenatae *(überschlagende oder verschränkte Reime)* apparuere et consonantiarum mundities et integritas ultimo saeculo duodecimo ad maximam venerunt perfectionem. Ab hac accuratione quae usque ad medium saeculum decimum tertium duravit, pauci tantum poëtae deflectere sunt ausi. Paullatim artificia quoque jucunda et festivitates in consonantiam irrepserunt finalem, quae usque ad medium saeculum tertium decimum magis magisque expolibantur. — Atque hactenus in nostra commentatione verborum consonantiae finalis historiam prosequemur; hoc tempore, ut poësis, sic consonantia finalis defloruit neque gratiam venustatemve, quae medio saeculo decimo tertio excellebat, unquam recuperavit. Inde ab hoc tempore verba

abbreviata et inurbana consonantiae rusticitatem adduxerunt, atque artificia consonantiae finalis, priore parte saeculi tertii decimi jucunde et modice adhibita, inepta sunt facta et absurda. Ita verborum consonantia finalis, ut universa ars metrica theotisca, magis magisque ad nihilum recidit ultimoque saeculo sexto decimo tali erat rusticitate, qualem saeculo quo consonantia bisyllaba sonans apparuit, duodecimo vix reperimus. Primo saeculo decimo septimo formae multo puriores in poësin reductae sunt; orationis inelegantia extabescente, consonantia verborum finalis ad accurationem munditiemque reversa est atque temporum decursu expoliebatur. Singuli poëtae verba etiam accuratissimis consonantiis nectere conati sunt, sed non multi eorum vestigiis institerunt; neque consonantia, quamvis temporibus recentissimis bene et eleganter tractata, (formis quibusdam orientalibus, male imitatis, exceptis) ad medii aevi integritatem et perfectum unquam revecta est.

PARS I.

DE PRIMIS CONSONANTIAE VERBORUM FINALIS VESTIGIIS IN POEMATIS ALLITERATIS SAECULI VIII. ET IX.

E primo poëseos theotiscae flore, i. e. ex alliterata poësi saeculi octavi et noni paucae tantum reliquiae ad nos pervenerunt; nimis paucae poëseos et historiae et animi theotisci amatori, verum satis multae, ut qualia et quanta interierint, demonstretur, satis multae investigatori attento, qui quomodo illa fuerint formata colligat, satis multae ut antiquissimae populi theotisci poëseos formam et materiam possimus intelligere.

Quamvis harum reliquiarum bina hemistichia alliteratione conjungi soleant, tamen passim consonantiam verborum finalem reperimus, quam non fortuito casuve apparere, sed data opera ad hemistichia nectenda esse positam, existimo. Hanc meam sententiam quaestionibus sequentibus probatum iri spero.

Triplicem consonantiae finalis usum aperte cognoscimus:

1. Aut enim hemistichia et alliteratione et consonantia verborum finali simul nexa sunt.

Ut in Hildebrando[1])

v. 22. arbeolaosa (er rêt
ôstar hina) dêt

ita leguntur hi versus ex C. Lachmanni praestantissima textus recensione, sed et secundum W. Wackernageli[2]) rationem si legere velis, versus apparent verborum consonantia nexi.

v. 56. in sus heremo man
hrusti giwinnan

v. 58. der sî doh nu argôsto
ôstarliuto

v. 67. unti im iro lintûn
luttilo wurtun,

ut in carmine Wessofontio[3])

in dînô ganâdâ
rehta galaupa

ut in harmonia evangeliorum saxonica, quae vocatur Heljand[4])

pag. 1. 1. manega waron
the sia iro mod gespon

pag. 1. 3. undar mancunnea
maritha gifrumida

---

[1]) Lachmann, über das Hildebrandslied, in den historisch philologischen Abhandlungen der Berliner Akademie vom Jahre 1833.

[2]) Altdeutsches Lesebuch von Wilhelm Wackernagel. Basel 1839. 4. pag. 64. v. 13, 14.

[3]) Wackernagel's altdeutsches Lesebuch, pag. 67, 68.

[4]) Heljand, ed. Schmeller, Stuttgart und Tübingen 1830, 1840. 4.

Atque ibidem pag. 2 (7, 14, 15, 16) pag. 3 (2, 13) et sic porro; nulla enim est pagina ubi non satis amplus exemplorum numerus reperiatur.

Ut in Muspilli [1])

v. **13.** za wederemo herje
si gihalot werdê.
v. **54.** wânit sih kinâdâ
diu wenaga sêla

ibidem v. **72**, **120**, **145**, **154**, **171**.

Idem consonantiae finalis usus in cognata Anglosaxonica poësi et septentrionali demonstrari potest. De septentrionali prior mentionem inferens Rask [2]) exempla tantum ex sero decimi quarti saeculi et decimi quinti usu profert. Quamobrem ego commemorabo alia ex Edda [3]) exempla, quae huc pertinere videntur.

Völuspâ 2. miötvid maeran
fyrir mold nedhan
17. fundu â landi
litt megandi
Ask ok Emblu
örlöglausa
ônd thau ne attu
ôdh thau ne höfdhu . . .
ibidem 25, 40.

Skirnisför 28. â thik Hrimnir hari
a thik hôtvetna stari.

---

[1]) Muspilli, ed. Schmeller, München 1832. 8. — Wackernagel's Lesebuch, pag. 69 ss.

[2]) Verslehre der Isländer, deutsch von Mohnike, pag. 24.

[3]) Edda Saemunder hinns frôda, ed Rask et Afzelius. Stockholm 1818. 8.

sic etiam Hâvamâl **1**, **8**, **14** etc.
Grimnismâl **7**, etc. Hymisqvîdha **3**, **7**, **9** etc.

De Anglosaxonica autem poësi haec sufficiant

Beowulf[1]) **3372**. Hrodhgar madhelode
hilt sceawode
1080. hrathor on holme
no ic fram him wolde.
ibidem **3828**.

Andreas[2]) **1631**. vuldres vedde
vitum âspêdde
1380. in vraec vunne
vuldres blunne
30. hettend heorogrimme
heafodgimme, — etc.

Elene[2]) **54**. hlevon hornboran
hreopon friccan.
180. âhangen for herjum
heardun vîtum

ibidem **197** etc. Hujus poëmatis decimi quinti capitis **30** versus vel hemistichia finali consonantia nexa, neque tamen inde censet Jacobus Grimm patere, subditicios esse, quum eorum integritas ab aliis partibus impugnari non possit.

Aliorum ex aliis libris exemplorum copia praesto est apud Turnerum[3]) nec non apud Raskium[4]) e quibus pleniorem hujus usus comprobationem sumere licet.

---

[1]) The anglo-saxon poems of Beowulf etc., edited by John M. Kemble, Esq. M. A. London 1835. 8.

[2]) Andreas und Elene, ed. Jacob Grimm. Cassel 1840. 8.

[3]) Turners, History of the Anglo-Saxons. 5th ed. vol. III. pag. 254 sqq.

[4]) Verslehre der Isländer, deutsch von Mohnike. Anhang 5.

2. Aut alliteratione hemistichium cum antecedente, consonantia finali cum sequente nectitur hoc rursus alliteratione cum proximo et sic porro ut talis figura conficiatur: (in qua numeris singula hemistichia significantur,)

1. ———— } alliterant.
2. ———— } consonant.
3. ———— } allit.
4. ———— } cons.
5. ———— } allit.
6. ————
. . .

Hujus equidem legis mentionem a viris doctis factam esse nescio, praeterquam quod Jacobus Grimm[1]) eam paullo obscurius et obiter attigit, vel potius intelligenti attingere videtur. Tamen horum exemplorum satis magnus numerus est.

In Hildebrando:

v. 4. sunufatarungôs
iro saro rihtun
garutun se iro gudhamun
gurtun sih swert ana
helidôs ubar hringa
do sie ti derô hiltju ritun....

ibidem v. 39, 40.

———

[1]) Andreas und Elene, pag. XLIII, XLIV.

In carminis Wessofontii quidem paucissimis, qui exstant versibus, vix locum esse hujus modi exemplis dixeris; certe mihi nulla occurrerunt. Tanto vero plura in poëmate „Heljand“

pag. 7. 23. ir selbes sunu
sendean weldi,
the thiu that he her alosdi
alla liudstemnia
werod son witea
Tho ward is wisbodo....

pag. 11. 9. waldand welda
sohta im thiu wanamon hem
thea burg an bethleem
thar iro beidero was
thes helides handmahal
endi oc thera heligon thiornun
mariun thera godun
Thar was thes mareon stol....

ibidem pag. 1 (22), pag. 2 (8, 21), pag. 3 (6, 15, 19 et sic porro.

Nec non in „Muspilli“

v. 81. wili den rehtkernôn
daz rîhhi kistarkan
pidiû scal imo helfan
des himiles giwaltit.
der antichristo stêt
pi demo altfiante
stêt pi demo satanase
der inan farsenkan scal.

cf. etiam v. 168 s. v. 186 sqq.

Comprobant idem septentrionalis poëseos exempla

Godhrunaharmr 40. rifnir medh rôtum
rodhnir î blôdhi
bornir â becki
baedit mik at tyggva.
cf. Hymisqvîdha 16, 20.
Hrafnagaldur Odins 2 etc.

Nec non Anglosaxonicae

Beowulf 3314. gudh ge-twaefed
nymdhe mec God scylde.
Ne meahte ic aet hilde
mid Hruntinge
3434. fordh ge-fremede
hwaethere him on ferhdhe greow
breost-hord blod-reow
nallas beagas geaf.
ibidem 3707 sqq. 3571 seqq.[1])

Andreas 1. Hvät ve gefrunon
on fyrndagum
tvelve under tunglum
tîreadige häled
ibidem 11, 12; 79, 80; etc.

Elene 50. ridon ymb rôfne
thónne rand dynede

---

[1]) Beowulf 922. Ofer ydha ge-wealc
ar Scildinga
dha ic furthum weold
folce Deninga
and on geógodhe heold
gimme-rice......
consonantiae finales concatenatae in poëmate alliterato saeculi VII!

campvudu clynede
cyning threate fôr
maerdum and mihtum
thät he manegum veardh
geond middangeard
mannum to hrôdre.

ibidem **40**, **41**; **96**, **97**; **104**, **105**; etc.

Huc pertinent vel hoc loco optime commemorantur etiam eae consonantiae verborum finales, quae *intermedio hemistichio in duobus inter se nexis sive synonymis sive oppositis vocabulis versantur.*

Ut in carmine *Wessofontio*

enteô ni wenteô

in *harmonia evangeliorum saxonica*

pag. **18**, 12. wegas endi waldas
pag. **24**, 15. lasun endi linodun
(pag. **25**, 4. wonon an willeon) etc.

Desunt exempla in Hildebrando atque in Muspilli, eo major eorum numerus in poësi *septentrionali*

Skirnisför **29**. topi ok opi.
Brynhildarqvîdha I. **20**. ôviltar ok ôspiltar
ib. **21**. sögn edhr thögn
Grimnismâl **27**. Sîd ok Vîd
Saekin ok Eikin
ib. **28**. Nyt ok Nöt
Nön ok Hrön
Slîdh ok Hrîdh
Sylgr ok Ylgr
Vidh ok Vân,
Vönd ok Strönd etc.

nec non in Anglosaxonica

Beowulf. 2010. sael and mael — 3221. saela and maela — 1305. hond and rond etc.

Cädmon[1]). 2, 1. gleám and dreám — 8, 3. sîde and vide — 99, 33. sîdne and vîdne — 154, 16. steápes and geápes, etc.

Andreas. 747. grund and sund — 1206. ordum and bordum — 225. healdend and vealdend, etc.

Elene. 1187. bord and ord — 24. vordum and bordum — 953. se féond and se freónd — 278. side and vîde, etc.

3. Aut (in quo genere victoria quaedam consonantiae verborum finalis de alliteratione jam non varia est sed quasi declarata) omissa omni alliteratione sôlius consonantiae finalis ad connectenda hemistichia est usus.

In Hildebrando

v. 15. dat sagetun mî
ûserê liuti[2])

Muspilli v. 119. diu marha ist farprunnan
diu sêla stêt bidwungan
ni weiz mit wiu puoze
sar verit si za wîze

156. denne varant engilâ
uper diô marhâ.

---

[1]) ed. Thorpe. London 1832.

[2]) de hoc versu cf. Lachmann. über das Hildebrandslied, loc. cit. pag. 131.

Sine dubio integer finis carminis Wessofontii huc pertinuerit

tiuflun za widarstantanne
enti arc za piwisanne
enti dinan willeon za gawurehanne.

Ita late consonantiae finalis usus apud Saxones, Anglosaxones, Septentrionales nondum patuit in poëmatis prioris illius temporis; me certe omnia exempla effugerunt. Sed huic mori et contrarium invenitur. In posterioribus enim theotiscis poëmatis, quae jam sola verborum consonantia nituntur, tamen intersunt nonnulli versus qui, consonantiae finalis ne vestigium quidem continentes, vetere illa alliterationis lege regantur[1]).

Postremo mihi, quod consonantias minus accurate factas inter exemplorum meorum numerum receperim, nemo, opinor, vitio vertet. Nam si consonantias finales saeculi octavi et noni eâdem existimemus cum libertate fingi, qua alliterationem ejusdem aevi, vel si modo eam libertatem concesseris, qua ultimo saeculo nono Otfried usus est, locorum et exemplorum copia admodum augeri potuerit. Verum enim vero, ne sic quidem aliquod consonantiae verborum finalis jus eo jam tempore, quo alliteratio una dominaretur, potueris negare. Cujus juris incrementa et victoriam sine dubio accuratius demonstrare possemus, nisi tam multa monumenta alliteratae poëseos temporibus nobis essent erepta.

---

[1]) Otfrieds Krist, ed. Graff I, 18, 9 — I, 5, 5. 138 Psalm, Hoffmanns Fundgruben I, pag. 3 etc.

PARS II.

DE CONSONANTIAE VERBORUM FINALIS ACCURATIONE ET MUNDITIE.

In antiquissima cujusvis populi poësi consonantiae verborum finales initio sunt minus accuratae et purae i. e. syllabae non iisdem literis vocalibus et consonantibus connexae sunt, verum sola assonantia [1]). Cujus rei causae sunt variae: primo enim consonantia finalis temporibus antiquissimis non abhibetur, ut aures titillet, sed ut hemistichia sibi inter se respondentia conjungat [2]), tum poëtas initio aut soni elegantioris sensus aut purae consonantiae fingendae facultas effugere possunt, denique nova quaeque ars duro quodam et agresti modo exercetur. Linguae mutationes, quibus ars quoque solet commutari, haec consonantiae vitia jam diu exstantia augere et exaggerare, vitia autem comminuta et paene excisa in pristinam dignitatem reducere possunt. Tem-

[1]) cf. De la Villemarqué, Barzas-Breiz, I, p. LVIII. LIX. — Wilhelm Grimm, altdänische Heldenlieder, Vorrede. — Diez, Poesie der Troubadours, pag. 96.

[2]) cf. Lachmann, über Otfried in Ersch und Grubers Encyclopaedie, III. 7. p. 281.

pora autem in cujusvis populi literarum cultu venient, quibus omnes fere poëseos formarum rusticitates evanuerint, et praestantia et linguae elegantia dominentur. Quomodo omnia haec in poësi theotisca medii aevi exstiterint, notissimis monumentis, quod ad accurationem et consonantiae verborum finalis munditiem attinet, perspectis, facile intelligemus.

De saeculi noni monumentis.

Verisimile est medio jam saeculo nono factum esse, ut monachus Otfried evangeliorum librum composuerit [1]). Quo in libro consonantias verborum finales non ubique esse inveniendas, his demonstratur versibus. I, 4, 9. — I, 5, 5. — I, 5, 16. — I, 5, 61. — I, 18, 9. Quorum ultimus versus, formula epica alliteratae poëseos tum temporis vigentis, in Muspilli quoque reperitur atque nexum est alliteratione ut nonnulla alia horum, quae citavimus stichiorum, Plurimae apud Otfriedum consonantiae finales accurate sunt factae; interdum, vocalibus tantum iisdem contentus, consonantes diversas adjungit; raro vocales quantitate diversae, consonantibus iisdem inveniuntur; rarissime vocales omnino diversas, consonantibus iisdem videbis. Negligentiae in consonantiis fingendis, quas creberrime invenies, hae sunt î : i, i : a, ô : o, a : o, liquida : liquida, liquida : media, media : aspirata, aspirata : aspirata, media : tenuis, haec ultima rarissima est; saepe autem liquida supervacua est media consonantia, ut *riat* : *gihialt*. Huc pertinent porro:

Carmen de Sancto Petro [2]) cujus consonantiae, negligentiis quibusdam in vocalium quantitate exceptis, accurate sunt factae.

---

[1]) Krist, ed. Graff, Königsberg. 1831. 4.

[2]) Hoffmann's Fundgruben, Breslau 1830. 8. pag. 1.

Carmen de muliere Samaritana[1]) Vocalium quantitates non omnino eaedem sunt; semel ae : i, sed consonantibus iisdem; semel n : m, p : b, s : st. Psalmi 138 versuum[2]) dimidia tantum pars accuratis consonantiis ornata est. Multas praecipue vocalium negligentias continet, ut a : o, e : o, u : o, î : i, e : i, u : ou, u : e, a : a, o : uo, e : a. Versus unus, omni consonantia verborum finali omissa, alliteratione nititur:

So vuillih danne file fruo
stellen mino federa,

Carmen de Ludovico[3]), circa annum 880 compositum, omnino fere accuratas consonantias profert. Semel o : uo, ter o : a, semel g : ch.

De saeculi decimi monumentis.

Poëseos saeculi decimi et undecimi et primi duodecimi nulla fere monumenta ad nos pervenerunt. Tamen pauca, quae tempore hoc obscuro nobis offeruntur, perscrutari non supersedimus.

Carmen de Sancto Georgio[4]) nisi paucissimas consonantias neglectas non continet. Invenitur iu : ei et liq : liq. — Praecatio[5]) quaedam tantum duobus quidem versiculis composita accuratissima est, item versiculi ex rhetorica Sangallica[6]) quum noti carminis *„Leich von den beiden Heinrichen"*[7]) dimidia tantum pars accuratione gaudeat.

---

[1]) loc. cit. pag. 2.
[2]) loc. cit. pag. 3.
[3]) loc. cit. pag. 6.
[4]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 10.
[5]) Wackernagel's Lesebuch pag. 110.
[6]) Wackernagel's Lesebuch pag. 110.
[7]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 340.

De saeculi undecimi monumentis.

Versiculi in Notkeri Boethio [1]) accuratissimi sunt, non item poëma cui Hoffmannus nomen „Merigarto" [2]) dedit, quod ultimo saeculo undecimo compositum esse probabile est. Dimidia ejus pars accurata est, et vocalibus brevibus in litteram „e" atonam transeuntibus multae exsistunt indiligentiae. Praeter solitas negligentias liq : liq, med : ten, a : e, o : e, i : e, ê : e, o : uo multo majores rusticitates sunt animadvertendae ut *wunteren : durchuam*, *vernam : herren*, *prunno : stimma*.

De saeculi duodecimi monumentis.

Ad primum saeculum duodecimum translatio Mosaicorum quinque librorum pertinet [3]). Cujus quinta consonantiarum pars accuratione caret, interdum autem versus sine ulla consonantia verborum finali sunt. Crebro invenis liq : liq, med : asp, asp : asp, ten : ten, i : e, uo : e. Saepe liquida ultra consonantiam exstat, rarius tenuis (ut *tach* : *nacht*); porro asp : spir. Praeterea majores indiligentias videbis ut *nam : varen*, *barn : gruozen*, *ioseph : gebot*. Eodem tempore antiquissimum lyricae poëseos monumentum pertineat, i. e. carmen ad virginem Mariam [4]). Hic quoque quintae consonantiarum parti negligentia obtigit. Solitae sunt consonantiae a : â, o : e, et liquida ultra verborum finalem consonantiam. Res graviores ut *boum : wurm*, *anderen : dornen* multo minus immodicae sunt quam in poësi epica. Jam hoc igitur tempore lyricae poëseos formas epicae munditie

---

[1]) Wackernagel's Lesebuch pag. 147.

[2]) Hoffmann's Fundgruben II, pag. 1—8.

[3]) Graff's Diutisca III. — Hoffmann's Fundgruben II.

[4]) Wackernagel's Lesebuch, pag. 195.

et integritate superare possumus cognoscere: quam rem in lyricae poëseos natura et proprietate positam, postea luculentius videbimus. E primo saeculo duodecimo nihil amplius reliquum est. Mundi chronicorum reliquiae *(Überreste einer Weltchronik)*[1] de quibus nunc dicemus, paullo post medium saeculum sunt scriptae. Tertia consonantiarum pars non accurata est; litera „e" atona multas efficit negligentias. Saepe reperitur liq : liq, med : ten, liquida ultra consonantiam, î : i, a : e, o : uo, e : i, u : o. In cantiuncula de pulchra regina Britannica[2] eodem tempore composita, una consonantiarum sine accuratione facta liq : med continet. In particula de Aegidio[3] dimidia consonantiarum pars non accurata est; litera „e" atona plurimae efficiuntur indiligentiae nonnullaeque bisyllabae sonantes consonantiae hoc, ut in duobus, quae supra diximus, poëmatis exstant[4]. Solita est consonantia liq : liq, liq : spirans, ten : ten, tenuis ultra consonantiam, ásp : spir, ô : o, a : e, i : e. — In poëmate de Christi vita et passione[5] tertia consonantiarum pars sine accuratione est facta; in universum nota i : a, a : o, a : e, e : i, ê : e, a : ae, e : iu, iu : uo, i : ie, a : â, liq : liq, liq : med, med : ten, ten : ten, liquida et spirans et tenuis ultra consonantiam, asp : spir, liquida geminata : liq et med, med : med.

In chronicis imperatorum *(Kaiserchronik)*[6] quae paullo post a. 1160 composita esse arbitramur[7], dimidia

---

[1]) Wackernagel's Lesebuch pag. 178.

[2]) Docens Miscellaneen II, 199.

[3]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 246.

[4]) cf. partem III.

[5]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 127 sqq.

[6]) Wackernagel's Lesebuch pag. 198, 206.

[7]) cf. Lachmann, über Singen und Sagen in den historisch philologischen Abhandlungen der Berliner Akademie vom J. 1833, p. 112.

consonantiarum pars integritate caret. Saepissime liquidam consonantiae adjectam videre potes. Praeterea â : a, ê : e, î : i, ô : o, e : i, liq : liq, liq : med, asp : asp, med : ten, ten : ten [1]), asp : asp [1]), liq. ultra consonantiam, liq gem : liq et med, med : med, liq : spir. — In poëmate de judicio ultimo *(vom jüngsten Gericht)* [2]) tertiam consonantiarum partem sine cura factam invenies i : a, e : i, liq : med, asp : asp, ten : ten, liq, spir, ten ultra consonantiam, asp : spir, liq gem : liq et med. — In Antichristo [3]) loco literae „e" atonae saepissime litera „i" non majore accentu elata, reperitur ideoque creberrime literae e et i consonant. Quinta consonantiarum pars non accurata: ô : o, a : e, e : i, liq : liq, med : med, asp : asp, asp : spir, liq. ultra consonantiam. In poëmate de Salomone et Morolfo [4]) quod ante a. 1170 factum esse colligimus [5]) tertia consonantiarum pars sine accuratione â : a, ê : e, î : i, liq : liq, ten : ten, liq. ultra consonantiam, liq gem : liq et media, med : med.

Heinrici litania [6]) quartam consonantiarum finalium partem sine cura factam demonstrat; e : i, i : ei, liq : liq, asp : asp, liq gem : liq et med, med : med. — Poëma „*Reinhart Fuchs*" a poëta *Heinrich der Glîchesaere* [7]) circa a. 1170 compositum [8]), quamvis retractatione quadam saeculi tertii decimi nobis traditum, tamen nonnullas antiquiores et

---

[1]) ten : ten et asp : asp medio quoque verbo (inlautend) contra Jacobi Grimm sententiam, cf. Grammatik I, pag. 444 sqq.

[2]) Hoffmann's Fundgruben II, pag. 135.

[3]) Hoffmann's Fundgruben II, pag. 102.

[4]) Deutsche Gedichte des Mittelalters, herausgegeben von von der Hagen und Büsching.

[5]) cf. Lachmann, über Singen und Sagen, pag. 120.

[6]) Hoffman's Fundgruben II, pag. 215.

[7]) Reinhart Fuchs von J. Grimm, Berlin 1834. 8.

[8]) cf. loc. cit. J. Grimm's Vorrede, pag. CVIII sqq.

saeculo duodecimo proprias ostendit negligentias et notandae sunt consonantiae liq : liq, asp : asp, liq ultra consonantiam et liq gem : liq et med.

Eodem fere tempore prima cantus erotici (*Minnegesang*) nobis occurrunt vestigia. Nomine Dietmari de Eist[1]) duplex carminum genus significatum est. Quorum primum — strophae **12** et **13** — hoc tempore compositum[2]) secundum autem post Friederici de Hausen tempora esse editum videtur. Carmina **12** et **13**, huc pertinentia indiligentissime sunt facta. Nondum quidem strophica ratione utuntur, ut lyricus, qui sequitur, Kürnberg, sed versum jam quinque pedibus compositum, more usque ad illud tempus insolito, afferunt. Saepe reperitur â : a in syllaba an, liq : med, liq : spir, med : med, med : asp, med : spir, med : ten, sed nequaquam immodicae illae rusticitates, quae in omnibus, quae citavimus saeculi duodecimi poëmatis epicis videri possunt. Circa a. **1173** Werinherus doctissimus clericus monasterii Tegernsee vitam virginis Mariae edidit[3]). Consonantiarum non tota dimidia pars accuratione caret: ten : ten (etiam medio in verbo — *inlautend*) asp : asp[4]) î : i, â : a, a : ae, i : ie, i : ei, liq. ultra consonantiam, asp : spir, liq : liq, liq : med, med : med, liq : spir.

Eodem tempore poëma „Graf Rudolf" compositum est[5]) Quarta consonantiarum pars non accurata, a : o, u : o,

---

[1]) Manessische Sammlung der Minnesänger ed. Bodmer, I, p. 39ᵃ — 42ᵇ.

[2]) cf. Lachmann, Vorrede zu den Werken Eschenbach's, pag. XIII.

[3]) Docens Miscellaneen II, pag. 104. — Hoffmann's Fundgruben II, pag. 145.

[4]) etiam medio in verbo.

[5]) Grave Ruodolf ed. W. Grimm, Göttingen 1828. 4. — cf. praefat. — Editio novissima mihi non erat praesto.

â : a, e : ae, ê : e, i : iu, liq : liq, liq : med, med : asp, asp : asp, ten : ten, liq gem : liq et med, liq : spir, liq : asp.

Circa a. **1175** carmen de Rolando est factum [1]). Nisi dimidia consonantiarum pars non accurata est, a : o, â : a, e : o, e : i, ê : e, i : ie, i : ei, liq : liq, liq : med, med : asp, asp : asp, ten : ten, liq ultra consonantiam, liq gem : liq et med, med : med, liq : asp.

Eilharti de Oberge poëma „Tristan" inscriptum [2]) huc pertinere existimamus. Tertia consonantiarum pars sine cura; a : e, e : i, u : uo, a : ae, liq : liq, liq : med, med : asp, med : ten, ten : ten, liq ultra consonantiam, asp : spir, liq gem : liq et med, med : med.

Inter haec carmina, ne modice quidem accuratis consonantiis ornata, repente nobis occurrit de Pilato poëma [3]), quod ante a. **1180** editum esse colligimus. Cujus auctor veri et pulchri sensu ductus, notitia Heinrici de Veldeke, qui primus accuratas fecit consonantias eodemque vixit aut paullo posteriore tempore, non aperta, accuratas vel Heinrici accuratiores affert consonantias verborum finales.

Carmen de duce Ernesto *(Lied vom Herzog Ernst)* [4]) item ante a. **1180** compositum dimidiam tantum partem consonantiarum habet accuratam. Reperiuntur liq : liq, liq : med, med : asp, med : ten, liq ultra consonantiam, liq gem : liq et med et magnae illae negligentiae, quas universa saeculi duodecimi poësis epica inde a Mundi Chronicis usque ad Pilatum ostendit.

---

[1]) Ruolandes Liet, ed. W. Grimm, Göttingen 1838. 8. — cf. praefat. —

[2]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 231.

[3]) Massmann, Gedichte des 12. Jahrhunderts.

[4]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 288 sqq. — cf. Lachmann über Singen und Sagen, pag. 116.

Lyrici quoque sequentes ante a. 1180 carmina condiderunt:

Kürnberg[1]) dimidiam consonantiarum partem non accurate facit â : a in syllaba an, n ultra consonantiam, liq : liq, liq : med, ten : ten (etiam medio in verbo). Majores rusticitates apud eum non reperiuntur, immo vero stropharum divisio primum in poësi non ecclesiastica.

Meinlo de Seflingen[2]) divisione quidem stropharum utitur, ut omnes lyrici sequentes, sed duobus tantum modis (*Töne*). Septimae consonantiarum parti deest elegantia; a : a, î : i, ô : o, ten : ten, ten : ultra consonantiam.

Poëta Burggraf von Regensburg[3]) consonantiarum dimidiam partem facit accuratam; n ultra consonantiam, liq : liq, ten : ten, semel *kunden* : *wunt*.

Spervogel[4]) qui artificiosiore jam stropharum divisione utitur, sextam consonantiarum partem non accuratam habet, â : a, a : o, n ultra consonantiam, liq : liq, liq : med, liq gem : liq et med, med : med, ten : ten.

Friedericus de Hausen[5]) cum imperatore Friederico a. 1172 in Italia moratus et a. 1190 in expeditione sacra mortuus est[6]). Primus ille stropharum divisione artificiosa, brevibus et longis versibus, strophis tripartitis (*Stollen et Abgesang*), sententiarum copia et ubertate, versibus dacty-

---

[1]) Manessische Sammlung I, 38[a.] — Hoffmann's Fundgruben I, pag. 263. — cf. Lachmann über Singen und Sagen, pag. 16.

[2]) Man. Samml. I, pag. 96.

[3]) Man. Samml. II, 117.

[4]) Man. Samml. II, 226[b.] Strophae 29, 33 apud Dietmarum de Eist quoque reperiuntur, neque (mea quidem sententia) Spervogeli sunt.

[5]) Man. Samml. I, 91—96.

[6]) cf. Lachmann über die Leiche, im rheinischen Museum für Philologie III, pag. 426. — Haupt, die Lieder und Büchlein und der arme Heinrich von Hartmann von Aue, pag. XVI.

licis, carminibus continuis, consonantiis interlaqueatis, exaggeratione quadam earundem consonantiarum praestans et excellens, paucissimas consonantias non accurate fingit. Notandum est, a : â, a : ae, o : u, liq : liq, ten : asp.

Dietmarus de Eist[1]) qui scribendi tota ratione Friederici de Hausen prodit notitiam, accuratiores facit versus. Nota, breves vocales consonare cum longis et mediam cum media.

Ut ad epicam poësin revertamur circa a. **1180** carmen de Tundalo[2]) compositum esse probatur. — Octava consonantiarum pars non accurata. Saepissime liq gem : liq et med. Praeterea liq : liq, asp : asp, liq ultra consonantiam, med : med, â : a, a : ae, ê : e; majores desunt negligentiae. — Post a. **1181** poëma Rex Rother[3]) editum est, quod ad vulgarem fidicinum trivialium poësin referendum est, quae poësis postea magis divulgata, inmodica formarum ruditate excelleret. Duae consonantiarum partes non accuratae sunt, a : o, a : e, â : a, ê : e, a : ae, liq : liq, liq : med, med : asp, asp : asp, ten : ten, liq ultra consonantiam, liq gem : liq et med, med : med, liq : asp. Praeterea majores inveniuntur indiligentiae, ut *constantinopole : burge, adele : koninge* etc.

Clerici Lamberti (*des Pfaffen Lamprecht*) Alexander[4]). Quarta consonantiarum pars sine cura facta, ô : o, â : a, e : i, liq : liq, liq : med, med : asp, asp : asp, med : ten, liq : spir et ten ultra consonantiam, liq gem : liq et med, med : med. Nullae graviores rusticitates.

---

[1]) Man. Samml. I, 39a. — 42b. — cf. Lachmann's Vorrede zu Wolfram von Eschenbach's Werken, pag. XIII.

[2]) K. A. Hahn, Gedichte des 12. und 13. Jahrhunderts.

[3]) Massmann, Gedichte des 12. Jahrhunderts I, pag. 64 sqq. — cf. von der Hagen's Gedichte des Mittelalters, Einleitung, pag. 10.

[4]) Massmann, Gedichte des 12ten Jahrhunderts I. pag. 64. sqq.

Eodem tempore poëta Westphalicus Heinricus de Veldeke Aeneidem scripsit [1]. Quem Rudolfus de Ems in Alexandro quinquaginta annis post composito [2] primum fuisse dicit „*der rechte rîme allerêrst began,*" idque jure. Ei accuratae primordia consonantiae adscribi possunt, quum post eum usque ad maximam integritatem consonantiae sint perfectae. Nonnullas consonantias verborum finales in Aeneide non accuratas esse eo excusatur quod carmen saxonica quidem lingua compositum (*niederdeutsch*), sed lingua tum temporis aulae Thuringianae solita nobis traditum est. Apud Heinricum breves longaeque nectuntur vocales, literae i et ë consonant, usus diphtongorum ä et ö non certus est, z conjungitur cum ʒ, denique litera n saepe ultra consonantiam reperitur. In lyricis versibus [3] z et t consonant, item longae brevesque vocales; omnia alia diligenter facta.

Non ita multo post lyricus Heinricus de Rucke [4] versus composuit in quibus breves et longae vocales consonantia verborum finali nectuntur, quum alia sint accuratissima. Reinmarus prior [5] et Heinricus de Morungen [6] eodem tempore carmina fecerunt; hic longas et breves connectit vocales et negligentias nonnullas profert, saxonica lingua, qua usus est, excusatus, ut *naz* : *bat*; ille

---

[1]) Müller's Sammlung deutscher Gedichte aus dem 12ten, 13ten und 14ten Jahrhundert. I.

[2]) Massmann's Denkmäler der deutschen Sprache und Literatur pag. 5.

[3]) Man. Samml. I. 18. sqq.

[4]) Man. Samml. I. 97. sqq. — Carmen suum „Leich" paullo post a. 1190 condidit.

[5]) Man. Samml. I. pag. 61. sqq. — Müller's Samml. III. pag. XLVIII. — Graff's Diutisca I. 93.

[6]) Man. Samml. I. 49—57. — Graff's Diutisca I. 89. sqq.

Ita lyricus his temporibus aequalis, Neidhart[1]) a : â connectit, quum omnes fere aequales et posteriores lyrici accuratissimas faciant consonantias. Neidharti consonantiarum negligentiae, poësi, cujus inventor est bucolica, quae forma agrestiore semper utitur, efficiuntur. Conradus Fleck, qui carmen Flore et Blanscheflur[2]) circa a. 1230 composuit, med : mêd conjungit. Rudolfus de Ems[3]) liq : liq, ten : ten, asp : ten nectit. Der Stricker[4]) in carminibus, quae vocantur „*Beispiele*" i : î conjungit. In carminibus „der Winsbecke und die Winsbeckin"[5]) reperitur a : â ante liq et asp, i : î, liq : liq.

Quum Ulricus de Türheim qui poëmati Gottfriedi Tristan[6]) post a. 1240 finem imposuit ten : ten conjungat ut *schalc* : *manecvalt*, literamque *a* verbi Tristan, et producat et corripiat (apud Gottfriedum haec litera semper corripitur) Conradus de Würzburg, poëta paullo posterior[7]) accuratissimas facit consonantias. Contra apud Kunhartum de Stoffel[8]) *ersach* : *gâch* reperitur, et Ulricus

---

[1]) Man. Samml. II. 71. sqq. Benecke's Beiträge.

[2]) Müller's Sammlung altdeutscher Gedichte II. Sommeri editio mihi non erat praesto.

[3]) Barlaam und Josaphat, ed. Köpke. — Der gute Gerhard, ed. Haupt. — Weltchronik im cod. cass. (cf. 287 et 288[b.]).

[4]) Benecke's Beiträge II. — Daniel von Blumenthal in Nyerup's Symb. ad. litt. teut. — Wackernagel's Lesebuch pag. 559 sqq. — cf. J. Grimm, Reinhart Fuchs, praefat.

[5]) ed. Haupt, Leipzig 1845. 8.

[6]) ed. Massmann, Leipzig 1843.

[7]) Goldene Schmiede, ed. W. Grimm. — Von der Minnen, in Müller's Sammlung I. — Engelhard, ed. Haupt. — Trojanischer Krieg, in Müller's Sammlung III.

[8]) Gauriel von Muntavel in Wackernagel's Lesebuch, pag. 643. sqq.

de Lichtenstein[1]) circa a. 1255 in poëmate „Frauendienst" a : â ante liq et asp, i : î, liq : liq connectit, literaque, quae dicitur falsa *n* utitur. In lyricis quoque carminibus a : â ante liq et asp conjungit.

De his observationibus in universum judicantes, omissis singulis proprietatibus in natura provinciarum et poëtarum singulorum positis, hanc facimus summam: In historia verborum consonantiae finalis tria tempora esse discernenda.

Tempus 1. Inde a primis verborum finalis consonantiae vestigiis, circa a. 850 usque ad medium saeculum duodecimum. Consonantia est monosyllaba, obtusa (*stumpf*) accurata, quoad poëtarum facultates et ingenia artisque novitas permittunt. Poëtae crebrius aut rarius has differentias vocalium et consonantium sibi concedunt â : a, a : e, a : o, ê : e, e : i, e : o, î : i, ô : o, o : uo, liq : liq, med : asp, asp : asp, med : ten, ten : ten, liq ultra consonantiam vel media consonantia.

Tempus 2. Inde a medio saeculo duodecimo usque ad ultimos viginti ejusdem saeculi annos. Syllabis finalibus refractis consonantiae bisyllabae sonantes simulque maximae adducuntur negligentiae. Octava versuum pars, quin etiam duae poematis partes consonantiis non accurate factis dedecorantur. Solitae indiligentiae hae sunt: â : a, a : ae, a : e, a : i, a : o, ê : e, e : i, e : o, e : iu, î : i, i : ie, i : ei, ô : o, o : uo, liq : liq, liq : med, med : asp, asp : asp, med : ten, ten : ten, liquida, spirans, tenuis ultra consonantiam, liq gem : liq et med, med : med, liq : spir, liq : asp, verum etiam consonantiae agrestissimae et inelegantissimae reperiuntur.

Tempus 3. Inde ab ultimis viginti saeculi duodecimi annis usque ad medium saeculum tertium decimum. Cum

[1]) ed. Lachmann, Berlin 1841.

interlaqueatis vel concatenatis consonantiis, bisyllaba consonantia recte et accurate adhibita, maxima consonantiarum elegantia exsistit. Vocalium et consonantium aequalitas a paucissimis poëtis rarissime negligitur; hasce videbis exceptiones i : î, e : e, ô : o, saepius a : â, liq : liq, asp : asp, liq ultra consonantiam, med : med, ten : ten.

Lyrica autem poësis semper majore consonantiarum elegantia et accuratione gaudet quam epica eidem aequalis.

PARS III.

DE VERBORUM CONSONANTIAE FINALIS NUMERO SYLLABARUM.

Consonantia verborum finalis, quae nobis prima occurrit, obtusa est (*stumpf*), i. e. ultima tantum stichiorum aut hemistichiorum syllaba (quarta arsis) consonat, ita ut syllabas finales barytonas (*tieftonigen*) attolli necesse sit. Sonantes (*klingende*) bisyllabas exsistere consonantias, easque in versibus componendis ab obtusis consonantiis distingui, semper poëseos est artificiosae jam plane excultae [1]). Sic in theotisca quoque poësi omnes consonantiae inde ab Otfriedo usque ad medium saeculum duodecimum obtusae sunt, quamvis passim, praecipue apud Otfriedum duae vel tres syllabae eodem aut simili modo sonent. Has consonantias bisyllabas vel trisyllabas cum syllaba finali accentu elata ad consonantias medii aevi sonantes non esse referendas, infra videbimus.

[1]) cf. Wolf loc. cit. pag. 171. — Jacob Grimm, lateinische Gedichte des 10ten und 11ten Jahrhunderts, pag. XXXIX. — Lachmann über Otfried, loc. cit. pag. 281. — Lebeuf, Traité hist. et pratique sur le chant ecclésiastique, Paris 1741. 8. pag. 121.

Consonantiae obtusae, quae duabus syllabis conjunctis (*verschleifte Silben*) formantur et in poësi ultimi saeculi duodecimi et decimi tertii conspici possunt, usque ad medium saeculum duodecimum rarissimae sunt. Saepius in uno duorum versuum consonantia finali nexorum ultimam arsin in duas syllabas conjunctas cadere invenies [1]).

Syllabis verborum finalibus refractis earumque vocalibus in literam *e* atonam transeuntibus, magnae consonantiarum exstiterunt mutationes. Consonantia harum syllabarum atonarum ad versus conjungendos non suffecit, ideoque consonantia verborum finalis in radices recessit verborum et bisyllaba facta est. Quam diu nova ars nondum erat firmata et pristinus usus cum novo de principatu contendit, tam diu consonantias inelegantes et rudes esse necesse erat.

Ut poëseos jam ipsa monumenta spectemus, Mundi Chronicorum reliquiae circa a. 1150 ad usum consonantiarum sonantium jam appropinquant, qui usus in particula de Aegidio auctus, in Christi vita et passione dominatur, interdum more antiquo consonantiae obtusae in jure suo interpellatus; eodemque modo in Chronicis Imperatorum et in omnibus usque ad ultimum saeculi duodecimi quadrantem carminibus versus etiam saepe more antiquo syllabis finalibus barytonis vel atonis nectuntur ad quod syllabarum primitivarum (*Stammsilben*) sonus aut par aut similis accedit. In consonantiis bisyllabis eadem syllabarum quantitas petitur eamque nisi maxima socordia, ut in carmine de Rolando, non negligit.

In carmine de Pilato (ante a. 1180) primum consonantiae revera sonantes lege nova nectuntur, item in Tundalo etc. Similiter in poësi lyrica, de qua rectius judicare possumus. In strophis veteribus Dietmaro de Eist adscriptis et in

---

[1]) Otfried II. 12, 31; I. 5, 3; II. 9, 31.

Kürnbergi versibus. consonantiae non antiquo quidem more factae, sed obtusae cum sonantibus promiscue mixtae sunt, quamvis Kürnberg jam stropharum divisione usus sit. Spervogel obtusas et sonantes consonantias primus discernit et inde ab hoc poëta versibus est certa lex, ut obtusae consonantiae sonantium vices praebere nequeant. Ubi in una modi alicujus (*eines Tones*) stropha consonantiae obtusae et sonantes reperiuntur, ibi in omnibus ejusdem modi strophis eas repeti necesse est; quae lex diligenter est observata. Friedericus de Hausen, qui non multò post Spervogelum carmina condidit, consonantias interlaqueatas sive concatenatas in poësin theotiscam induxit [1]) denique Heinricus de Veldeke consonantias accuratissimas, quae formae sibi invicem in perfectu acquirendo opitulatae sunt [2]). Inde ab hoc tempore spectant ad

1. Consonantias obtusas

A. Syllaba oxytona conjuncta cum oxytona sive barytona paullulum elata, ut ***sol*** : ***wol***, ***snê*** : ***wê***, ***kan*** : ***undertân***, ***betlehêm*** : ***jerusalêm***.

---

[1]) cf. part. IV.

[2]) Apud Franco-Gallos consonantiae obtusae a sonantibus modo saeculo decimo septimo distinctae sunt, cf. Barbazan, Fabliaux, ed. de Méon, Tom. III, p. XII. — Roquefort, de l'état de la poësie française dans les XIIe et XIIIe siècles, Paris 1821, 8. pag. 80. — L. Quicherat, Traité de versification française, Par. 1838, 8. p. 345 — 346. — quamvis consonantiarum sonantium usus prioribus jam temporibus reperiatur. Hic autem consonantiae bisyllabae cum syllaba finali accentu elata (*rimes léonines ou riches*) ad sonantes referendae sunt, quum consonantiae (*rimes*) *féminines* cum litera e muta (*e muet*) ad obtusas spectent. cf. 1. B. — cf. Legrand, fabliaux, ed. de Renouard, Vol. I, pag. 71. — Wolf loc. cit. pag. 172, 178 sqq. — Diez, die Poesie der Troubadours, pag. 106 — 108.

B. Duae syllabae, quarum prima brevis, oxytona sive barytona, altera muta est, conjunctae cum duabus syllabis ejusdem rationis, ut: *sigen* : *ligen*, *jugent* : *tugent*, *sagen* : *klagen*.

C. Tres syllabae, quarum prima brevis et oxytona, altera muta, tertia atona est, conjunctae cum tribus syllabis ejusdem rationis, ut *hagene* : *jagene*. Quae consonantia rara est atque in carmine „*der Nibelunge Noth*" nonnullisque aliis poëmatis popularibus invenitur.

2. Consonantias sonantes.

A. Duae syllabae quarum prima longa, oxytona sive barytona, altera atona est, conjunctae cum duobus ejusdem rationis, ut *allen* : *gallen*, *adâme* : *sâme*; *kiesen* : *verliesen*.

B. Tres syllabae, quarum prima brevis et oxytona, altera barytona, tertia atona est, conjunctae cum tribus ejusdem rationis, ut *klagende* : *bejagende*, *wegende* : *pflegende*. Haec consonantia rara est.

C. Tres syllabae quarum prima brevis et oxytona, altera muta, tertia atona est, conjunctae cum tribus ejusdem rationis (vid. 1, C.), ut *hagele* : *nagele*, *hagene* : *jagene*. Haec consonantia rarissima multique poëtae, ut Walther von der Vogelweide etc., nunquam ea sunt usi.

Priusquam consonantiae obtusae a sonantibus distinctae erant, nonnulli poëtae, ne his uterentur bene caverunt. Sic lyrici antiquissimi Meinlo de Seflingen[1]) et Burggraf von Regensburg[2]) qui ante Spervogeli et Friederici de Hausen tempora vixerunt, obtusis tantum consonantiis usi

---

1) Man. Samml. I. 96.
2) Man. Samml. II. 117.

sunt. Postquam consonantiarum differentia jam plane eluxit, poëtae modo obtusas modo sonantes praeferebant. Sic Reinmarus prior et Hartmannus de Aue in carminibus lyricis rarissime consonantiis sonantibus usi sunt et carmen totum „der Nibelunge Noth" consonantiis obtusis compositum est. Contra apud Ulricum de Lichtenstein [1]) carmen reperitur in quo sonantes tantum consonantiae sunt.

Nonnulli poëtae usi sunt:

3. Consonantia supersonante.

(Der überklingende, gleitende Reim.)

Quae consonantia composita est tribus syllabis, quarum prima longa et oxytona, altera atona, tertia muta est, conjunctis cum tribus ejusdem rationis; ut *wâgete* : *bâgete*, *dankete* : *krankete;* altera syllaba barytona quoque potest esse, ut *suochende* : *geruochende*, *begiezende* : *fliezende.* Consonantia supersonans rara est, sed apud Gottfriedum de Strafsburg, Rudolfum de Ems imprimis apud Conradum de Würzburg, interdum apud Ulricum de Lichtenstein invenitur.

Porro commemoramus:

4. Consonantiam pluribus syllabis compositam cum syllaba finali accentu elata.

Haec consonantia primam consonantiae obtusae speciem aequiparat, additis una vel duabus syllabis praecedentibus, consonantia ornatis, ut *immer mê* : *nimmer mê*, *ermelîn* : *hermelîn.* Jam Otfried, quamvis plerumque hemistichiorum

---

[1]) Frauendienst, ed. Lachmann, pag. 403.

quartam arsin consonantia distinguens, tamen unam vel duas syllabarum antecedentium consonare amat [1]); idemque petitur in carmine de Sancto Petro, in psalmo 183, in poëmate de Ludovico etc. Quae consonantia bisyllaba vel trisyllaba cum syllaba finali accentu elata ad consonantias sonantes non est referenda, id quod Jacobus Grimm et Koberstein facere conati sunt [2]). Consonantiis posterioris temporis sonantibus litera *e* atona opus est earumque duae syllabae consonantes in unam cadunt arsin, quum consonantiae prioris temporis bisyllabae vel trisyllabae ad arsin thesinve non respiciant et plerumque in duas cadant arses. Si ad Jacobi Grimm sententiam accedere velles, consonantias prioris temporis bisyllabas a sonantibus posterioris temporis non dissentire, trisyllabas consonantias supersonantes, quarum syllabae in thesin, arsin, arsin, aut in arsin, thesin, arsin caderent, in antiquissimi temporis poësi invenires, id quod exemplis, quae apud Otfriedum citavimus, potest intelligi. Qua re omnes consonantiarum leges subvertuntur. Consonantiae bisyllabae et trisyllabae cum syllaba finali accentu elata et in poësi antiquissima, sono et numero creatae, poëtarum arbitrio et libidini erant permissae, ut posteriore Neidharti, Conradi de Würzburg, Ulrici de Lichtenstein usu probatur.

Poëtae ultimi duodecimi saeculi et tertii decimi rarissime consonantiis bisyllabis et trisyllabis cum syllaba finali accentu elata usi sunt et partim quidem ut jocose luderent, partim ut consonantias tangentes (*rührende Reime*) [3]) vetitas tege-

---

[1]) Hartm. 163. — I. 22. 23. — III. 15. 10. — Ludw. 20. 55. — I. 20. 6. — I. 23. 11.

[2]) Deutsche Grammatik von Jacob Grimm, I. 16. — Koberstein, Geschichte der deutschen Nationalliteratur, pag. 41.

[3]) vid. 5.

rent aut mitigarent; iisque priores loco obtusarum, posteriores sonantium quoque loco usi sunt. Exempla vide apud Heinricum de Morungen[1]) *krôn ist* : *allerschônist* — *lônist*, apud Hartmannum de Aue[2]) *mislich* : *genislich*, apud Wolframum de Eschenbach (assonantia tantum) *sundersiz* : *underviz*, apud Neidhartum[3]) *anger* : *sprang er* : *sang er*, *schuldig* : *ungeduldig*, loco sonantium consonantiarum. Item apud Conradum de Würzburg[4]) *kleinlichiu* : *richiu*, *miniu* : *diniu*, *wârheit* : *klârheit*, apud Rudolfum de Ems in mundi Chronicis, *heiligest* : *meiligest*, denique apud Ulricum de Lichtenstein[5]) *gewaltig* : *manicvaltig*.

Huc pertinent obtusae quoque consonantiae, regulae non convenientes, quae duabus syllabis finalibus, ad consonantiam sonantem formandam aptis, syllaba ultima ad arsin elata, loco obtusarum usurpatis exsistunt, ut *Uoten* : *guoten*, *Kriemhilde* : *wilde* in poëmate der Nibelunge Noth, in quo hae consonantiae saepissime reperiuntur hujusque carminis demonstrant antiquitatem.

Tum mentionem facimus

5. Consonantiae tangentis
(der rührende oder reiche Reim).

Consonantiae tangentes eae sunt, in quibus syllabae conjunctae ultra vocalem pares, iisdem igitur literis compositae

---

[1]) Man. Samml. I, 49—57.

[2]) Armer Heinrich, v. 167.

[3]) Man. Samml. II. 74b. Str. 2—79a.

[4]) Engelhard 74. — Trojan. Krieg 116b., 135c. — goldene Schmiede 589.

[5]) Man. Samml. II, p. 44a. Str. 2.

sunt [1]). Possunt et obtusae et sonantes esse [2]) atque in tres dividuntur species.

A. Verba eadem cum eadem significatione, ut *gruoben* : *gruoben* apud clericum Lambertum, *ougin* : *ougin* in carmine de Rolando.

B. Verba eadem cum diversa significatione ut *maere* (clarus): *maere* (narratio), *ê* (lex) : *ê* (prius).

C. Verba eadem cum eadem significatione, sed non simplicia, verum cum aliis composita, ut *fielen* : *entfielen*, *verhandelt* : *missehandelt* [3]).

Poëseos ultimi duodecimi saeculi et tertii decimi legibus, primae speciei usus vetitus, alterius autem et tertiae permissus erat, sed altera hujus consonantiae species rarissime invenitur [4]). Quod vetitum inde a temporibus Friederici de Hausen et Heinrici de Veldeke diligenter observatum est; quamvis jam antea multi poëtae [5]) vetitis tangentibus consonantiis non sint usi. Post Heinricum de Veldeke nonnullae exceptiones passim reperiuntur, plerumque autem consonantiis bisyllabis aut trisyllabis cum syllaba finali accentu elata [6]) mitigatae vel tectae. Peccata aperta vide in carminibus Gudrûn, der welsche Gast, Flore und Blanscheflur.

---

[1]) cf. Diez, die Poesie der Troubadours, pag. 96.

[2]) Quod ad consonantiam tangentem attinet, ejus syllabarum numerus non est spectandus. Nimis magna consonantiae accuratio est, ideoque in parte praecedente vel separata erat tractanda. Id quod autem minus aptum mihi visum est, quam quod hic inseratur.

[3]) Iwein 6224. — Conr. v. Würzburg, troj. Krieg 15520.

[4]) Cur primae speciei usus fuerit vetitus quisquis facile intelliget; nihil enim negotii est, consonantiam iisdem facere verbis, itaque Augusti de Platen ghaselae nuper editae, quarum consonantiae tangentes sunt, non artis esse mihi videntur.

[5]) Entecrist, Legende vom Pilatus, König Rother.

[6]) cf. 4 ut Hartmannus de Aue, Arm. Heinr. v. 167.

Si nihil erat negotii vetitas consonantias afferre tangentes, tamen eo majoris erat artis, certum consonantiarum tangentium permissarum numerum certis locis in poëma inferre. Quam artem primum reperimus apud Waltherum von der Vogelweide [1]. In stropha quadam artificiosissimis ornata consonantiis, certis locis permissas consonantias tangentes videre potes. Gottfriedus de Strafsburg hac versuum ornamento etiam in epica poësi in carmine „Tristan" usus est. Cujus carminis initio strophae quaternis versibus compositae inveniuntur, quae binis consonantiis tangentibus formantur. Quibus strophis, passim in poëmate repetitis plerumque sententiae dictaque continentur. Ceterum Gottfriedi plurimae consonantiae tangentes vetitae, paucae permissae sunt. Gottfriedus de Neifen, consonantiarum artificiosarum peritissimus, hac quoque arte utitur. Semel quatuor habet strophas senis consonantiis tangentibus compositas, praeterea totum carmen granis (*Körner*) ornatum est (cf. part. IV) [2]. In altero carmine [3] quinque videmus strophas, denis versibus formatas, in quibus omnes consonantiae sunt tangentes permissae; postremo in tertio carmine consonantias tangentes, quae pulsantes (*Schlagreime*) quoque sunt [4]. Conradus de Würzburg ut Gottfriedus consonantiarum amans artificiosarum, carmen composuit, quod praeter consonantias verborum ejusdem radicis finales (***Reimwörter desselben Stammes***) et moras (***Pausen***) et consonantias mediis stichiis (*innere **Reime***) tangentes quoque continet consonantias [5].

---

[1]) ed. Lachmann, pag. 122, 124.

[2]) Man. Samml. I, pag. 23a. Str. 6, 7, 8, 9.

[3]) Benecke's Beiträge I. Nr. XVIII.

[4]) Loc. cit. Nr. XXXII. — cf. part. IV.

[5]) Wackernagel's Lesebuch pag. 699. — cf. part. IV.

In latina medii aevi poësi versus dactylici tripertiti caudati circulati consonantiis tangentibus simillimi erant [1]).

Apud poëtas decimi quarti saeculi et decimi quinti (*den Meistersängern*) consonantiae tangentes, quarum altera species Aequivoca nominabantur, vetitae erant [2]).

Denique commemoramus

6. Consonantias finales verborum ejusdem radicis.

Haec consonantiae diligentia primum, quoad intelligere potuimus, apud Gottfriedum de Neifen reperitur. Consonantia obtusa et consonantia quae praecedit aut eam sequitur, sonans ex eadem radice exstiterunt, ut *wiben, wip, liben, lip, belangen, unlank, umbevangen, umbevank.* Gottfriedus de Neifen hac arte in duobus carminibus [3]), Conradus de Würzburg in uno [4]) nec non Ulricus de Lichtenstein [5]) sunt usi.

---

[1]) Wolf über die Lais, pag. 217.

[2]) Wagenseil's Bericht von der Meistersingerkunst. — Commentatio de civitate Noribergensi, pag. 519, 528.

[3]) von der Hagen's Museum, pag. 368. — Benecke's Beiträge I. Nr. VI.

[4]) Wackernagel's Lesebuch, pag. 699.

[5]) Frauendienst, ed. Lachmann, pag. 563.

PARS IV.

DE VERBORUM CONSONANTIAE FINALIS POSITIONE.

Ut in altera nostrae commentationis parte, antiquissimas consonantias ineleganter et sine cura factas, in tertia eas semper obtusas esse, atque sonantes postea demum usurpari, reperimus: sic in hac quarta parte, in qua consonantiae positionem in versu strophaque spectaturi sumus, in antiquissimis poëmatis versus consonantes continuos, consonantias igitur non concatenatas — *rimes plates* — esse videmus [1]), ita ut haec formetur figura *aa bb cc* etc., quum consonantiae quae postea exsistunt interlaqueatae hanc sequantur figuram *abab*, *cdcd* aut *abc abc* etc. Cum consonantiis interlaqueatis, consonantiae quae vocantur *Zwischenreime*, *rimes couées*, *tail rime*, *tail staves* [2]) non sunt confundendae. Ferdinandus Wolf has consonantias ex versibus intercalaribus carminum popularium et praecipue ex cantu ecclesiastico populari exstitisse demonstrat.

---

[1]) cf. Guest loc. cit. II. pag. 281. 282. — Diez, pag. 95. — Rask, Verslehre der Isländer, pag. 26. — Roquefort, pag. 66—70. — Hardiman, Irish Minstrelsy, Vol. II. pag. 376. — Grimm et Schmeller, lateinische Gedichte des 10ten und 11ten Jahrh., p. XLI.

[2]) Guest II. pag. 303. sqq.

Hi versus intercalares, *refran*, *refrim*, *referre* — qui populi aut communis erant ex carminibus a singulis vel paucis relatis, cognati quidem consonantiis, eodem immo vero priore tempore reperiundi, tamen a consonantiis distinguendi neque cum iis confundendi sunt [1]).

Consonantiae, quas vocavimus „*Zwischenreime*" sunt binae consonantiae, quibus versus, plerumque brevior, adjectus est, cui alter versus, alteras binas consonantias sequens respondet, ita ut haec figura demonstrat: *aabccb*. His consonantiis — *rimes couées* — poëtae primi saeculi duodecimi, qui dicuntur *Troubadours*, jam usi sunt, quum consonantiae interlaqueatae — *rimes croisées* — postea demum reperiantur. Consonantiae (*rimes*) *couées* ex Wolfii sententia ita exstiterunt: Ex poësi medii aevi populari latina duae versuum species natae sunt: versus leonini, breves et continui et versus caudati, i. e. stichia continua, binis brevibus hemistichiis, caesura divisis composita. Caudati sunt appellati, quia consonantiae non in finibus hemistichiorum, sed in fine (cauda) stichii erant. Postea caudatis versus brevis modo intercalarium adjectus et, stichiis in strophas divisis, cauda [2]) nominatus est. In caudatis tripertitis versus leonini et caudati conjuncti sunt. Tripertitorum stichia tribus membris, duobus hemistichiis et cauda formabantur. Hemistichia modo leonino consonabant, et versus finales aut intercalares consonantiis finalibus nectebantur. Stichiis in strophas divisis, consonantiae (*rimes*) *couées* exstiterunt, hanc principalem formam strophicam carminum popularium sequentes: *aabccb*. Tum docta poësis medii aevi metrica fecit dactylicos tripertitos caudatos [3]). Nomen ipsum „*rimes couées*" eas a tripertitis

---

[1]) Wolf loc. cit. pag. 18. sqq.
[2]) Wolf loc. cit. pag. 198.
[3]) Lachmann, über die Leiche, pag. 427—429.

caudatis originem trahere indicat [1]); postea artificiosiores factae et consonantiae usque ad tres vel quatuor auctae et nexae sunt [2]).

Consonantiae interlaqueatae ex Wolfii sententia ita sunt natae [3]). Ex brevibus versibus continuis stichia exstiterunt quae binis brevibus composita erant; consonantiae medio versu cesserunt et stichiorum modo fines consonantiis ornabantur, ita ut figura:

hemist. ——— *a*
hemist. ——— *a*
hemist. ——— *b*
hemist. ——— *b*

in hanc verteretur:

hemist. ——— o ——— hemist. ——— *c*
hemist. ——— o ——— hemist. ——— *c*

Postea membra priora rursus consonabant, figuraque facta est:

hemist. ——— *d* ——— hemist. ——— *c*
——— *d* ——— *c*

vel si in strophas dividimus:

——— *d*
——— *c*
——— *d*
——— *c*

quae est consonantia interlaqueata.

Haec consonantia in docta poësi latina jam antiquissimis temporibus reperitur, haud scio an jam saeculo quarto, certe

---

1) Wolf loc. cit. pag. 202. 203.

2) Wolf loc. cit. pag. 227. sqq.

3) cf. Wolf loc. cit. pag. 166. sqq.

saeculo septimo [1]), ultimo saeculo duodecimo in Britanniam ingressa, apud Franco-Gallos quinquaginta annis post perfecta est, quam consonantiae, quae „*couées*" vocantur [2]).

Wolf de consonantiis interlaqueatis praeclare dicit (loc. cit. pag. 280): — „*auch sind diese versus interlaqueati, concatenati u. s. w. nicht wie die volksmäſsigen leonini und caudati aus einer innern Nothwendigkeit, aus dem Bedürfnisse, dem Ohre das Zusammengehörige oder die rhythmischen Schlüsse vernehmbar zu machen, hervorgegangen, und schon darum nicht in der Volkspoesie begründet, vielmehr scheinen sie oft nur ein künstliches Spiel der Schreiber, welche die parallelen rhythmischen Glieder, Versfüſse, ja manchmal sogar die einzelnen Wörter zweier oder mehrerer untereinandergeschriebener Langzeilen, vielleicht mehr dem Auge zu Gefallen zusammenreimten.*"

Non est infitiandum Wolfii verba de consonantiis interlaqueatis et de consonantiis, quae vocantur „*couées*" vera et praeclara esse, quare hoc loco breviter citata sunt, quamvis ad poësin theotiscam minime pertineant. Etsi ubique cum Wolfio formas poëseos intrinsecus excoli probamus, tamen consonantias interlaqueatas poëtarum externorum traditione propagatas esse concedimus. Consonantiae positio, quae prima in poësi theotisca ad consonantias interlaqueatas esse videtur referenda

1. Orbi

(die Waisen)

sunt, i. e. inter versus consonantes unus reperitur, cui nullus respondet. Carmen de pulchra regina Britannica [3])

---

[1]) Santen, ad Terent. Maur. p. 208. — Guest II, p. 281. 282. — Diez, pag. 100. 101.

[2]) Wolf loc. cit. pag. 206, Not. 42.

[3]) Doc. Misc. II, 199.

circa annum **1150** compositum primum in poësi theotisca orbum profert. Postea strophae epicae, orbis indutae in poëmate de Salomone et Morolfo occurrunt, quae hanc formant figuram *aabob*. Lyricus Kürnberg, stropha illa quae dicitur „*Nibelungenstrophe*" usus est, quae consonantiis et orbis composita esse videri potest. Spervogel saepe stropha utitur, quae sex consonantiis et uno orbo est composita. Temporibus posterioribus, quibus consonantiae interlaqueatae jam consuetudine receptae atque maxima cum arte usurpatae erant, tamen orbi amati erant et usitati. Omnes fere lyrici iis usi sunt et apud Wolframum de Eschenbach.[1]) carmen reperimus, quod orbis etiam abundat [2]).

Quod ad

2. Consonantias interlaqueatas

(concatenatas, überschlagende Reime, rimes croisées, mixed rime, interwoven rime)

jam ipsas attinet, in epica poësi temporum, de quibus dicimus, non reperiuntur. Lyricam poësin respicientes, in veteribus strophis Dietmaro de Eist adscriptis nulla consonantiarum concatenatarum vestigia videmus; Kürnbergi autem sententia ad has consonantias jam videtur inclinare, apud eum orbis, qui inter versus consonantia ornatos exstant, saepe assonantibus ut *leides* : *scheiden*. Meinlo de Seflingen et Burggraf de Regensburg consonantiis interlaqueatis aliquoties utuntur, sed parcum in modum; Spervogel quoque rarissime. In omnibus autem carminibus Friederici de Hausen, qui formas poëseos omnino excoluit, consonantiae interlaqueatae, artificiosissime et elegantissime factae,

---

[1]) ed. Lachmann, pag. 7, v. 41 seqq.

[2]) cf. Diez, pag. 96, 260. — Lachmann über Singen und Sagen, pag. 16.

reperiuntur. Hic poëta dives erat et nobilis et inter aequales doctrina praestans. Anno 1172 cum Friederico Imperatore in Italiam profecto cum poëtis italicis et provincialibus sine dubio erat consuetudo, itaque factum est, ut eorum artes cognosceret, easque in patriam inferret. Quamdiu consonantias interlaqueatas intrinsecus excultas esse videre non possumus, tamdiu hac Friederici de Hausen traditione eas in poësin theotiscam inductas esse arbitrari sumus coacti.

Inde a Friederici de Hausen temporibus omnes lyrici consonantiis interlaqueatis sunt usi. Lex certa quam longe una consonantia ab altera, quae ei respondet debeat abesse, neque in poësi medii aevi theotisca, neque in italica sed in francogallica est constituta. Sic Gottfriedus de Neifen strophas composuit viginti octo versuum, in quibus versus decimus quintus cum primo, versus decimus sextus cum altero etc. consonant[1]) sic Ulricus de Lichtenstein modum fecit artificiosissimum, in quo prima stropha septem versuum easdem affert consonantias, altera stropha septem consonantias diversas, tertia primae aequalis, quarta respondet alteri, quintae strophae quatuor primi versus aequales sunt quatuor primis versibus primae et tertiae, tres ultimi versus tribus ultimis versibus alterius et quartae strophae respondent. Ulricus de Lichtenstein ipse de hoc modo dicit: „*diu liet vil maneger niht verstuont — — — si wârn getihtet wunderlîch, die rîme gesetzet meisterlîch.* Gottfriedus de Neifen eodem utitur modo.

Consonantiae *couées* quas Wolf (pag. 213, Not. 53) in theotisca quoque poësi demonstrat, primum apud Waltherum von der Vogelweide nobis occurrunt, multo igitur post, quam consonantiae interlaquaeatae, easque non intrinsecus excultas, sed traditione propagatas esse videmus.

---

[1]) Benecke's Beiträge I, Nr. VII.

Deinde mentionem facimus

3. Consonantiarum mediis stichiis

(die inneren Reime).

Verba consonant, quae mediis iisdem vel diversis reperiuntur stichiis, stropharum constructione nequaquam mutata. Quae consonantiae saepe difficillime cognoscendae neque a consonantiis finalibus distinguendae sunt praesertim si carminum modos non noveris, quum in veteribus manuscriptis versus non separentur [1]).

Consonantias mediis stichiis primum vidi apud Heinricum de Rucke [2]) tum apud Waltherum von der Vogelweide [3]), Wolframum de Eschenbach [4]), Heinricum Scriptorem [5]). Neidhartus [6]) et Gottfriedus de Neifen [7]) iis usi sunt, quibus sonos aliquos imitarentur. Alia exempla vide apud Wizlavum de Ruegen [8]). Conradus de Würzburg poëmatis *Engelhard* exordium consonantiis mediis stichiis ornavit, iisque in carminibus suis lyricis saepe usus est [9]), nec non Ulricus de Lichtenstein [10]).

---

1) cf. Lachmann zu Walther von der Vogelweide, pag. 208, Note zu 36. — Diez pag. 97 sqq. 102. — Lachmann über Singen und Sagen pag. 10.

2) Man. Samml. I, pag. 99 b. Str. 2—5, pag. 100 b. Str. 4—6.

3) ed. Lachmann, pag. 98, 40. cf. Lachm. not. — 106, 17 sqq. — 122, 24. cf. Lachm. not.

4) ed. Lachmann, pag. 7, 41.

5) Man. Samml. II, pag. 103 b. Str. 3—5.

6) Man. Samml. II, 80 b. Str. 1.

7) von der Hagen's Museum, pag. 386.

8) Altdeutsches Meistergesangbuch in Müller's Sammlung II, pag. 30, v. 31 sqq.

9) Wackernagel's Lesebuch, pag. 699, 700.

10) Frauendienst, ed. Lachmann, Berlin 1841, pag. 394, 185.

poësi medii aevi franco-gallica invenitur, quod Roquefort nominat *rimes doubles*[1]). Reinmarus prior consonantiam pulsanti similem verbo *minne* facit. Walther von der Vogelweide iis artificiosissime utitur, ita ut in versu sequente positione versa repetantur[2]). Porro hae consonantiae reperiuntur apud Heinricum Scriptorem[3]), Neidhartum[4]), Marnerum[5]), Gottfriedum de Neifen saepissime[6]), Wizlavum de Ruegen[7]). Conradus de Würzburg consonantiis pulsantibus primos octoginta octo versus Engelhardi[8]) ornavit, quod est unum atque unicum exemplum hujus diligentiae in epica eorum temporum, de quibus dicimus, poësi, in carminibus quoque lyricis iis usus est[9]) atque duas strophas consonantiis tantum pulsantibus composuit[10]). Ulricus de Lichtenstein, ut omnes alias, sic hanc quoque consonantiae artem profert[11]).

Postremo mentionem facimus

7. Consonantiarum cumulationis
(*Häufung der Reime*).

Eandem consonantiam in eodem carmine saepe recteque adhibere, magnae est artis. Quam consonantiae cumulationem

---

1) loc. cit. pag. 74.

2) ed. Lachmann, pag 47, 16. Manuscriptum Heidelb. Reinmarum hujus carminis auctorem nominat.

3) Man. Samml. II, pag. 103b. Str. 3—5.

4) Man. Samml. II, pag. 80b. Str. 4.

5) Man. Samml. II, pag. 166b. Str. 3 sqq — 168b. Str. 3 sqq.

6) Benecke's Beiträge I, Nr. XVI, XXXII, XXXVII.

7) Müller's Samml. II, pag. 30, v. 31 sqq., im altdeutschen Meistergesb.

8) ed. M. Haupt.

9) Man. Samml. II, 202b. Str. 34, 203a. Str. 1—3.

10) Man. Samml. II, pag. 203a. Str. 4 et 203b. Str. 1.

11) Frauendienst, ed. Lachmann, pag. 394.

jam antiquissimis temporibus videmus. Sic carmen de Sancto Georgio[1]) binis brevibus continuis consonantiis est compositum sed interdum tertia vel etiam quarta et quinta accedit consonantia. Item in Heinrici Litania[2]) eandem consonantiam decies repetitam invenimus. In epica poësi ultimi saeculi duodecimi et primi tertii decimi, quam continuis modo consonantiis usam esse scimus eandem consonantiam saepe afferre non erat permissum. Poëma „der Nibelunge Noth" et Rudolfus de Ems hanc legem neglexerunt. Wirnt de Grafenberg articulos carminis Wigalois tribus finit consonantiis et Conradus de Würzburg exordium artificiosissimum Engelhardi eadem consonantia saepissime ornat.

In lyrica poësi consonantiarum cumulatio ornamentum praecipuum fuisse videtur, cui primum apud Friedericum de Hausen occurrimus, nullo ejus vestigio apud Spervogelum. Heinricus de Rucke[3]) eandem consonantiam jam quinquies repetit, sed maxima consonantiarum cumulatio in primo Hartmanni de Aue libello (*Büchlein*) inde a versu **1645** invenitur[4]). Primus articulus triginta duorum versuum duas continet consonantias, alteram obtusam alteram sonantem, quae sedecies repetuntur; alter articulus duas alias consonantias et duos versus minus quam primus articulus habet; tertius duas alias consonantias duosque versus minus quam alter articulus, etc., donec libello hac re ipsa finis imponatur.

Ludum singularem apud Waltherum von der Vo-

---

[1]) Hoffmann's Fundgruben I, pag. 10 sqq.

[2]) Hoffmann's Fundgruben II, pag. 215.

[3]) Man. Samml. I. pag. 98b. Str. 6.

[4]) Die Lieder, Büchlein und der arme Heinrich von Hartmann von Aue, ed. Moritz Haupt, Leipzig 1842.

gelweide[1]) reperimus. De quinque strophis septem versuum quaeque stropha cum una quinque vocalium consonat. Idem ejus discipulus Ulricus de Singenberg[2]) et Rudolfus Scriptor[3]) imitati sunt.

Inter omnes autem lyricos Gottfriedus de Neifen, Conradus de Würzburg, denique Ulricus de Lichtenstein magna consonantiarum praestant cumulatione.

---

[1]) ed. Lachmann, pag. 75. 25.

[2]) Man. Samml. I. pag. 157. Str. 2. sqq.

[3]) von der Hagen's Ausgabe der Minnesänger, Leipzig 1842, 4. II. pag. 264.

TYPIS GUSTAVI SCHADE.